

Joachim Hartmann

Rectore Academiae Rostochiensis Magnificentissimo, Serenissimo Principe Ac Domino, Domino Friderico, Principe Haereditario Meclenbvirgico ... Festvm Michaelis Academiae Civibvs O. O. Honoratissimis Felix Favstvmque Precatvr, Atque Ad Idem Devota Mente Celebrandvm, Qua Decet Pietate Singvlos Hortatvr, Argvmentorvm, Ad Probandvm Pro Impoenitentia Finali Praestitam Satisfactionem Ab Vniversalitate Gratiae Et Meriti Christi Desvmtorvm, Dissertatione Inavgvrali Qvondam Propositorvm, Contra Obmota, Vindicias

Rostochii: Litteris Adlerianis, [1754?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn876570473>

Druck Freier  Zugang





J. 512.

—
1754. Michael.

M-1256.^{328.}

M. 17

RECTORE ACADEMIAE ROSTOCHIENSIS
MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO FRIDERICO,

PRINCIPE HAEREDITARIO MECLENBURGICO,
PRINCIPE VETVSTAE GENTIS HENETAE, SVERINI AC RACEBURGI,
COMITE ITEM SVERINENSI, TERRARVM ROSTOCHII ET
STARGARDIAE DYNASTA

DOMINO NOSTRO CLEMENTISSIMO

FESTVM MICHAELIS

ACADEMIAE CIVIVS O. O. HONORATISSIMI
FELIX FAVSTVMQUE PRECATVR,

ATQUE AD IDEM
DEVOTA MENTE CELEBRANDVM, QUAE DECET PIETATE

SINGVLOS HORTATVR,

ARGVMENTORVM,

AD PROBANDVM PRO IMPOENITENTIA FINALI
PRAESTITAM SATISFACTIONEM

AB VNIVERSALITATE GRATIAE ET MERITI
CHRISTI DESVMTORVM,

DISSERTATIONE INAUGVRALI QVONDAM
PROPOSITORVM, CONTRA OBMOTA,

VINDICIAS

PRAEIMITTENS,

ACADEMIAE PRO-RECTOR

JOACHIM HARTMANN

S. S. TH. D. ET PROF. P. O. CONSIST. DVICALIS CONSILIARIVS ET
DIOECESIOS MECLENBURGICAE SVPERINTENDENS.



ROSTOCHII, LITTEBIS ADLERIANIS.



M. 1256 328



[Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher.]

11. 1850



L. B. S.



§. 1.

Resolvenda mihi sumsi, cum *Pentecostes* Festum publico *Programmate* celebrarem, dubia, quae Exegesi dicti Petrini, 2 Petr. II. 1., *Disp. Inaug.* a me expositae, obmota erant. Deo suppeditante vires ad reliqua respondeo, quae thesis, in *Disp. Inaug.* stabilitae, quod pro *impoenitentia finali et Peccato in Spiritum S. satisfecerit Redemptor*, ex aliis argumentis petitae demonstrationi opposita sunt. Quemadmodum fieri solet in *Disputationibus*, ut nuda veritas aliquantulum involvatur accessoriis quaestionibus et distinctionibus, ita varia etiam, quam oppositae sententiae verborum involucra offerunt, specie, non raro obscuratur. Inde est, ut, ventilatis hinc inde contrariis *disputationibus*, magna hominum pars vix ex dubiis emergat, quin, non satis inter se comparatis argumentis, illa augeat. Interim eos eventus non timendos esse censemus iis, quibus dubia removendi viam monstravit de veritate convictio. Ego vero, cum ex hoc discrimine eripere intendam, quam vindicandam, solo veri amore, sumsi, veritatem, operam dabo, ut et sibi oppositas sententias liquido cernere et argumenta lance severiori ponderare queat L. B. et, cuinam parti homagium debeatur, evidenter, quantum fieri potest, intelligere. Faxit Ter Optimum Terque Maximum Numen, ut in ipsius gloriae uberiolem illustrationem vergant omnia,

A

§. 2.

§. 2.

Postquam, Cl. *Dubiorum et Observationum* Auctor *Anonymus* contra meam exegefin quaedam observaverat, quibus *Programmate Pentecostali* respondi, pedem promovet is, ad discussionem aliorum quoque, quibus thesin confirmaveram *argumentorum*. Quinque maxime nuncupat, quibus suam sententiam opponit, quibusque in sequentibus vindicandis operam navaturus sum. Eandem, *Specim. XIII. Illustrationis Apologeticae Peccati in Sp. S.*, Vir *Celeberrimus* CARPOVIUS ingressus viam, finitis iis, quae *Programmate Pentecostali* removi, ad *argumenta* mea reliqua, *Diss. Inaug.* prolata, progreditur. Cumque singula argumenta Vir *Celeberrimus* recenset et impugnet, ordini, quem ipse tenet, in hac responsione etiam ego insistam, subinde adjecturus, ubi *Auctor Dubiorum et Observationum* Anonymus *suis Cel. CARPOVIO* accedit dubiis, eademque vel iisdem vel diversis firmanda quaerit argumentis.

§. 3.

Deductam ex dicto *Petrino* thesin meam cum in *Diss. Inaug.* aliis quoque argumentis theologicis confirmandam quaero, *Primo* quidem generaliter infero: *Quaecunque argumenta efficacissimam Dei de omnibus hominibus salvandis demonstrant voluntatem*, ea etiam satisfactionem pro finaliter impenitentibus et Peccatoribus in *Sp. S.*, qua talibus, praestitam esse probant: Atque de argumentis, desumptis a gratia miserante, a meriti Christi infinito valore et universalitate, a benevolentia universalis, a vocationis universalitate, &c. *subsumptione* facta, *conclusionem* infero. *Cel. CARPOVIUS* in hoc argumento impugnat Majorem 1) *per instantiam* a damnatis *desumptam*. Ea vero instantia tam parum me ferit, adeoque major, damnatis pro impenitentibus finaliter talibus et Peccatoribus in *Sp. S.* substitutis, tam parum ad me pertinet, ut ipsa definitione mea, de impenitentia finali, huic jam obviam iverim instantiae: cujus ergo remotio nihil quidquam inhaerebo, cum evictum sit, impenitentiam finalem et Peccatum in Spiritum S. esse hujus seculi peccata, adeoque a finaliter

liter impenitentibus et peccatoribus in Sp. S. ad damnatos, et vice versa, non valere consequentiam. Velim B. L. conferat ea, quae *Progr. Pentecostali* dixi §. 3. 25. 2) *Cel. CARPOVIUS* Deum dicit respicere peccatorem *vel* in se, nondum spectata ejus fide aut incredulitate, *vel* speciatim respicere illum ut finaliter incredulum. *Priori* respectu *dicit* cogitandam esse voluntatem antecedentem, posteriori consequentem, secundum quam finaliter impenitentis non salutem sed damnationem velit hinc eidem Redemptorem non dederit Deus. Argumentum magna non destituitur specie, propter *definitionem* voluntatis *antecedentis* et *consequentis* quibusdam usitatam, ipsis *Cel. CARPOVII* terminis expressam. Sed salva res est. Impenitens finaliter talis *vel* adhuc in hac vita spirat, *vel* vivere cessavit. Sublata aequivocatione exploratum habeo, mecum nunc impenitentem finaliter talem, *qui* tamen *adhuc* in hac vita spirat, ad voluntatem non consequentem relaturum esse Virum egregium, sed ad antecedentem, atque intellecturum, secundo suae divisionis membro inesse ambiguitatem, quam subdivisione addita distincte expressi. Quodsi nunc impenitens finaliter talis consideratur, quatenus non adhuc in vita hac spirat, sed vivere desiit, recte refertur ad voluntatem consequentem. Pro illo itaque, qua tali, consentio, Christum non datum esse Redemptorem, stabiliuntibus cum Scriptura S. omnibus Ecclesiae nostrae Theologis. Hoc itaque sensu pariter concedo propositiones sequentes: *Voluntate* ad finem non lata medium non adpeti: nec *homini* damnando, sc. nunc cum ut jam mortuus damnandus (potius dicendum erat damnatus) est, Christum Redemptorem dari opus fuisse. Sed adhibito *primo*, quod ad allatam a *Cel. CARPOVIO* distinctionem, ejusque membrum secundum, recensuimus, subdivisionis membro, ut nimirum finaliter incredulus sumatur, adhuc in hac vita spirans, scilicet in ipso ultimo vitae actu, dicendum est, voluntatem divinam et ad finem ferri, et medium adpetere. Atque cum is, quem Deus ab aeterno praevidit finaliter incredulum futurum, jam in hac etiam vita, secundum aeternum, non tamen absolutum, reprobationis

tionis decretum, *damnandus* dici certo modo possit: hoc sensu, *homini damnando Christum Redemptorem dari*, omnino opus fuisse, quin mihi largiatur *Vir Doctissimus* nullus dubito.

§. 4.

At habet *Vir acutissimus*, quod reponat, in promptu. Nimirum, quod finaliter incredulus *quamdiu* adhuc in hac vita spirat nondum sit *impoenitens* finaliter talis. Et suppeditat, quae hoc efficere studet, distinctam ideam de *impoenitenti* finaliter tali, quod sit is, *qui impoenitentiae finalis reus sit*, illius vero reum non esse, nisi qui in mentis incredulitate ex hac vita migravit, quod deinde ex eo illustrat, quia finalis tum demum sit *impoenitentia* cum homo in ea moritur. Magnam, quae proferuntur, denuo habent speciem. Evidens enim videtur, *neminem ante mortem impoenitentiae finalis reum esse*. Sed, ut taceam, *Cel. CARPOVIUM* hic aliquando promiscue uti terminis, *moritur, mortuus est, damnandus est, damnatus est*, aliisque, quos tamen alibi distinguit indeque sententiae momentum derivat: ut hoc praeteream; termino *reus* omnino inest *aequivocatio*. Nimirum *reus* non modo dicitur, qui peccatum ad finem suum *perduxit*, sed qui in ipso peccato, quod ad finem perducit, *adhuc versatur*, jam ejusdem *reus* recte dicitur. *Reatus* non est ipsum peccatum, sed peccati necessarium adjunctum et consequens, manetque, jam finito et patrato peccato, adhuc peccator in reatu: adeoque etiam post mortem manet reatus ex *impoenitentia* finali, verum is in ipsa quoque *impoenitentia* finali ante mortem locum habet. Hinc *non modo* qui *impoenitentiam* finalem *perduxit* ad suum finem, *sed* etiam qui adhuc in ea *impoenitentia* versatur, quae hoc ipso momento finalis est, ejus recte vocatur *reus*. Si de priori sensu fermo sit, omnino verum est, pro *impoenitenti* finaliter tali, spectato ex statu post finitam *impoenitentiam* finalem, hinc ex statu post mortem considerato, non satisfecisse Christum, nec ei, quoad hunc statum spectato, datum esse Redemptorem. Sed *de eo non est quaestio*, verum de hoc: *aune pro impoenitenti finaliter tali, id est homine viatore, in*
impoe-

impoenitentia, quae certissime duratura est ad finem usque vitae, et in ultimo vitae actu vel statu, versante, datus sit Redemptor, adeoque pro ea impenitentia, quae cum ipsius vitae termino terminatur, et in ipso ultimo vitae actu vel statu obvia est, praestita sit redemptio et satisfactio? Reatus cum hac impenitentia conjunctus utique peccatori post mortem corporis et in damnatione jam constituto etiam incumbit, sed ea impenitentia obfirmatum certo modo ad malum animum involvit, pertinationemque in rejectione mediorum salutis, atque ad vitia opposita inclinationem, propensionem, et in iis exercendis, ad quae natura fertur impenitens, promittitudinem actualem involvit, eam, quae ratio est proxima, cur poenitentia non actu sequatur, hinc impenitentia in ipso vitae ultimo statu actualis sit: eademque et ipsa impenitentia in ultimo vitae actu vel statu obvia reatum eo ipso momento conjunctum jam habet, nec sequenti demum momento recipit, quamvis sequenti etiam momento reatus ille maneat. Reatus itaque jam peccatori in hac vita incumbit, qui ex statu animi impenitentis finaliter talis aestimandus est, et, quod vitae naturalis terminus hanc impenitentiam ut talem finit, id in reatum ipsum, quod proxime ante finem vitae non habuerit, novi nihil importat, ad impenitentiam finalem referendum. Quamvis enim, qui ad finem vitae impenitens fuit, statim post obitum incurrat in statum depravationis, longissime ab illo, quem in hac vita habuit, diversum. *Conf. Progr. Pent. §. 3. ff.* Is tamen impenitentiam finalem demum sequitur, et ad ipsam eam, quae cum ipso vitae termino terminata est, impenitentiam, non pertinet, eamque non constituit aut ejus ipsam ideam ingreditur. Terminus rei rem non intendit, sed eam, ut ante terminum erat, finit, ejusque vel continuationem, vel ejus, ut talis, continuationem, quod posterius hic in censum venit, negat. Ut itaque, cum de impenitentia finali sermo est, qua intensioem ea ipsa, non alia, habeatur impenitentia, quae erat proxime ante terminum vitae, ejusque, ut talis, continuatio termino vitae sistitur, quia cum ipso termino vitae in alium statum transit peccator, in quo, quae ipsi ante terminum vitae

competebat, impenitentia prorsus novas recipit determinationes, quae ad impenitentiam, quae finalis erat, non pertinent, sed eam consequuntur in statu post mortem, post terminum vitae. Termini idea si quandam obscuritatem relinquit; optime res perspicietur adplicata disjunctiva superiori. Aut enim adhuc spirat peccator, aut non, s. quod idem est, spirare desit. Quousque prius adhuc valet, semper est sub voluntate antecedente, cum posterius locum habet est sub voluntate consequente peccator. Quam primum autem spirare desit, est etiam in statu, qui ad impenitentiam finalem non amplius pertinet, sed ad statum, qui post impenitentiam finalem sequitur, et ad futurum seculum refertur. Ut itaque tertium inter punctum ultimum hujus et punctum primum alterius seculi non detur, nec punctum, quod ad utrumque statum pertineat, cogitabile sit. Cum itaque punctum hujus vitae ultimum adhuc pertineat ad hanc vitam, ad hoc seculum, ad statum viatoris, ut idem etiam punctum pertineat ad voluntatem antecedentem necessum est. Cumque idem punctum ultimum sit in impenitentia, quam finalem dicunt, impenitentia finalis sine omni dubio pertinet ad hanc vitam, adeoque ad voluntatem antecedentem. Et quoniam propter ipsam finaliter impenitens talis est, in sensu reduplicativo spectatus; omnino impenitens finaliter talis, hinc reduplicative dictus, est sub voluntate antecedente. Eo vero non obstante, in impenitentia mortuus pertinet ad voluntatem consequentem. Non enim adhuc spirat, hinc viator dici nequit, adeoque decretum damnationis sentit, ejusque, et hinc quoque voluntatis consequentis, objectum est.

§. 5.

Quod Vir *Cel.* CARPOVIUS arbitratur, me voluntatis antecedentis et consequentis distinctionem in hac materia non assecutum esse, profecto miratus sum, cum non desint in *Diss. mea Inaugurali*, ex quibus oppositum intelligere potuisset. Timeo vero, ut a *Dno.* CARPOVIO observata sit ea distinctio. Namque ex communi omnium Theologorum con-

consensu voluntas antecedens versatur circa mediorum constitutionem et adplicationem, voluntas autem consequens est judiciaria, secundum quam credentibus salutem ex gratia, non credentibus damnationem, per justitiam vindicativam, Deus decrevit. Haec prius adplicanda non est, quam post mortem, cum ex hac vita decesserunt mortales. In hac vero tota vita, in ultimo quoque spirandi actu, adhuc locum habet voluntas antecedens. Enimvero impenitentia in ultimo spirandi actu posita impenitentiam finalem facit finalem, ergo in ea positus, qua talis, adhuc voluntati antecedenti subest peccator. Sed postquam in impenitentia finali mortuus est voluntatis consequentis objectum est. Exercitium justitiae vindicativae propter incredulitatem finalem non potest poni in hac vita, sed post mortem demum ponendum est.

§. 6.

Ex dictis patet, quid responsurus sim ad limitationes argumenti mei ab Exc. Dno. CARPOVIO allatas. Primo namque ita format argumentum, ut de solis subjectis specificative non reduplicative spectatis intelligatur, et totum concedit salva sua sententia. In quo quidem Virum Celeberrimum facile consentientem utique habeo, cum de reduplicacione omnis sit quaestio. Deinde vero, cum de subjectis reduplicative sumtis intelligit argumentum, limitat illud Vir acutus, adplicata distinctione voluntatis in antecedentem et consequentem, ita: *Quaecunque efficacissimam Dei de salvandis omnibus et singulis hominibus demonstrant voluntatem (an antecedentem an vero consequentem?) illa Christum satisfecisse etiam pro finaliter impenitentibus, ut talibus, evincunt. Atqui argumenta §. LX. Diff. Inaug. adducta &c. Ergo. Adplicata nunc in majori voluntatis antecedentis idea, negat Majorem, adplicata consequentis notione, negat Minorem. Profecto ut bene concipio, quid sit voluntas antecedens, et consequens, non affectus sum statim, quid hac adplicatione sibi velit Vir Praestantissimus, cum voluntatem consequentem ponere in Majori omni-*

omnium fit maxime paradoxum, ut de ea non adplicanda omnino potuisset esse securus. De *voluntate antecedente* in *Majori propositione* sermo est. At vero sic negat Majoris propositionis veritatem. Anne vero etiam hanc negationem hinc propositionis falsitatem probat? Quidni! Namque addita est ratio: *quia finaliter impenitentis ut talis non salutem sed damnationem velit, atque hinc ei ut tali non dederit Redemptorem Deus, hinc sub voluntate antecedente non fit finaliter impenitens qua talis.* Quid vero potius, si non hoc, est principium petere? Propositiones: *in impenitentia finali* constitutus, qua talis, non est sub voluntate antecedente, *Impoenitentis finaliter* talis salutem Deus non vult, *Impoenitentis finaliter* talis damnationem Deus vult, quantum quidem ego judicare possum, sunt aequipollentes, adeoque singulae sunt in quaestione, nec adeo una potest alterius esse principium cognoscendi, pro quo cum assumitur est principii petitio. Quando deinde additur: hinc ut tali non datum esse Redemptorem; res eodem modo comparata est! Namque voluntatis antecedentis est dare omnibus Redemptorem, cui ergo hic datus non est, non est sub voluntate antecedente, et qui non est sub voluntate antecedente illi Redemptor datus non est. Quare cum petitiones principiorum ad solida argumenta referri nequeant; his omnibus nihil quidquam efficitur. Potius ergo maneat, quod ad voluntatem antecedentem referendus sit in *impenitentia finali* constitutus, qua talis. Quod ut distinctius intelligi queat, adplicabimus argumento Viri acutissimi ex sublata aequivocatione termini, in *impenitentia finali* constituti, superius (§. 3.) producta membra. Ita ergo limitabitur argumentum: *quaecunque efficacissimam* Dei de salvandis omnibus et singulis hominibus demonstrant voluntatem antecedentem, illa Christum satisfecisse etiam pro finaliter impenitentibus ut talibus (*an in actu ultimo vitae et impenitentiae finalis, an in statu post mortem constitutis?*) evincunt. Adplicato *priori* membro si etiamnum negaturus sit *Cel. CARPOVIUS* Majorem, manifesto confiteri tenetur, Christum non satisfecisse pro omnibus *hominis viatoris* peccatis, namque ultimus actus etiam-

num

num pertinet ad hanc vitam. Cum autem illud negare nolit, tandem concedat impenitentes finaliter tales esse redemptionis Christi objectum. *Posteriori* membro adplicato, falsam esse Majorem ambabus largior, sed nec in tota hac materia de statu post mortem quaestio est, quod saepius dixi, et in ipsa quoque *Dissertatione Inaugurali* §, LXIIX. praemonui.

§. 7.

Progreditur *Cel.* CARPOVIUS ad *Secundam* classem Argumentorum meorum, quae ab Universalitate Meriti Christi desumpta sunt, et quidem 1) ad probationem, quam ex Lev. XVI, 21. 30. a typo ad antitypum concludendo pro probanda thesi derivaveram. Ibi vero responsionis loco quaerit: *an etiam pro hominibus in peccato mortuis sacrificia ad remissionem peccatorum offerenda fuerint?* Quam si negem, quod me facturum sentit, cadere me causa arbitratur. In rationibus verum ubique admixtum est falso, unde non possum non singula perlustrare. Putat autem, fore, ut causa cadam, quia nemo impenitentiae finalis reus sit nisi ex hac vita *migrans*. Quid inde? Terminus est aequivocus *migrantem* ego secundum *statum hujus vitae ultimum*, *Cel.* CARPOVIUS secundum *statum aeternae mortis* et post hanc vitam *primum* considerat. Mea quidem sententia notionem, quam Vir Doctissimus amplectitur, impenitentiae finalis idea ferre nequit, quae quippe ad hanc vitam referenda est, et ultimo *hujus vitae* momento absolvitur. Atque pro iis etiam, qui in *ultimo hujus vitae* momento fuerunt, sacrificium ab Aarone, de quo sermo est, praestitum esse, nullus dubito. Pertinet enim ad peccata hujus vitae, pro quibus valuisse sacrificium dictum non puto negandum esse. Cavendum in hac tota materia, ne statum aliquem fingamus, de quo, an ad praesentem vitam pertineat, an ad statum post hanc vitam, dubii sumus. Id autem non sedulo semper observatum est, et ex eo solo disceptationes aliquando superfluae ortae sunt, quod et accidit quibusdam optimis Viris Theologis. Idemque etiam accidit *Cel.* CARPOVIO *terminis* ex hac vita *migrans*, aliisque, qui, cum in se sint *impropii*, fingunt in imaginatione ideam, quasi inter punctum ultimum hujus vitae et primum momentum status animae post

B

mor-

mortem fit aliquod intermedium, quod mortis momentum constituat. Eam vero intermedii notionem rejeci et etiamnum rejicio. Spirat enim adhuc peccator, aut non. Priori casu adhuc vivit et dum ultimo spirat, est ultimum vitae punctum, quod terminat impenitentiam finalem, proque quo adhuc satisfactum dici debet. Posteriori casu, si non spirat amplius, ergo mortuus est, et est jam in aevo futuro infelici, pro quo satisfactum non est. Tertium intermedium non datur, sed nudum est imaginationis figmentum.

§. 8.

Equidem cum *Specimine VI. §. 5. n. 2.* demonstrationem suppeditat Vir Exc. de eo, quod *Impoenitentia finalis non sit Peccatum Viatoris*, totus in eo est, ut quod negavi *intermedium* stabiliat momentum; Ita enim Vir Cel. concludit: *ἀπιστία finalis est ἀπιστία*, quam homo ad mortem usque naturalem continuat (*Spec. I. §. 7. n. 10. 11.*) quo circa homo *ἀπιστίαν* finalem committit, dum in *ἀπιστία* moritur, commisit autem, si in illa mortuus est. At sive hominem, ut in ipso mortis momento jam positum, sive ut jam vita functum, spectes, non amplius in hac vita versatur; non posterius, quod ex oppositione patet vitae mortisque; nec prius, quia momentum mortis est transitus ex hac vita in aeternitatem, adeoque medium intercedit inter utramque ita, ut homo in eodem nec vivus amplius, neque jam mortuus, sed tantum moriens possit dici. Et quoniam sic *ἀπιστία* finalis non est peccatum, quod homo committit in hac vita, nec amplius is est viator, qui illam committit. Ego vero circa hanc demonstrationem observo primo per ipsam definitionem *ἀπιστίας* finalis Virum Cel. teneri, ut eam ad hanc vitam referat. Quod enim ad usque mortem naturalem continuatur, id ante mortem adfit necessum est. Quod enim non adest non potest continuari. Et non entis non sunt adfectiones. Si dicatur, quod adfit quidem *ἀπιστία*, non vero adfit ut finalis, ad id respondi jam *§ho 4.* ostendendo, termino ipso nihil novi accedere, sed tantum negari ulteriorem ut talis durationem, et ibidem docui, ultimum vitae

vitae momentum esse ad hanc vitam referendum, et ultimum spirationis in hac vita actum esse vitae hujus actum, quatenus vero in ultimo hujus vitae statu vel actu impenitentia adest, finalis dicitur, quare, ut finalis, omnino ad hanc vitam spectat. *Secundo*: Reliqua, quae pro probando statu inter vitam et mortem medio affert Vir Cel. dum tria ponit momenta diversa, in quorum primo dici possit homo vivens, in altero homo moriens, et in tertio homo mortuus, ea, inquam, ita comparata sunt, ut varia regeri jure possint. Respondeo: 1) non refragor bene posse imaginando ejusmodi medium fingi. Imaginando enim etiam symbola cogitationum repraesentamus, et cognitione symbolica saepissime fallimur, putantes vere cogitationes cum terminis jungi, quibuscum tamen, cum ideas examinamus, nullas conjunctas deprehendimus. Atque hoc quidem in praesenti exemplo locum habere facile ostenditur. Cum enim inter esse et non esse tertium non detur: inter vivere et non vivere, inter spirare et non spirare, pariter tertium non datur. Enimvero qui non vivit, is vivere cessavit, et mortuus dicitur. Adeoque inter vivum et mortuum tertium habetur nullum. Ultimus vitae actus adhuc est actus vitae, et actu eo cessante homo mortuus est. Illum actum vitae ultimum divide in exiguas partes et actus parciales, quotcumque libuerit, ultimus ex his partialibus actibus est tamen hujus vitae actus, quo posito vita terminatur et mors adest. *Dic*, terminatio illius actus est illud intermedium. Ergo vel adhuc realitatem cogitas vel non, dum terminum eum pronuncias. *Si non* tertium habes nullum. Si aliquam, illa realitas vel ad statum antecedentem pertinet vel non. Si prius, ad vitam pertinet: quod cum negetur, posterius dicendum est. Quodsi vero non pertinet ad vitam, non est vitae terminus, sed in statu reali post vitam realitas *prima*, momentum *primum*, status vero realis ipsam antecedens vitam terminat. Si hic non ille vitam terminat, hic non ille impenitentiam finalem facit finalem. Si hic impenitentiam finalem facit finalem, impenitentia finalis pertinet ad hanc vitam, nec ad intermedium quendam statum referri potest. 2) Cogitetur

vero status intermedius quotusquisque libuerit, in eo consentimus, quod in eo constitutus homo non sit in vita, non sit homo viator. Consentimus pariter, quod homo, qui non est vivus, in eo statu spectatus, qua talis, non sit a Christo redemptus. Quod si itaque in hoc statu impenitentia demum fiat finalis et propter eam, ut finalem, peccator damnatur; damnatur peccator propterea, quod in aliquo statu, in quo Redemptorem non habuit, Redemptorem non acceptaverit. Quod cum maxime sit incongruum, quia Redemptorem, quem non habet, non potest acceptare: non minus erit incongruum adserere, quod in statu illo, post hanc vitam, impenitentia demum fiat finalis. Finalis ergo fit propter actum hujus vitae ultimum fide vacuum.

3) Cum Satisfactio peccata hujus vitae pro objecto habeat, et status ille, quem ponit Vir Celeb., medius, non sit status hujus vitae, adeoque pro eo non satisfecerit Christus, in eo convenit cum statu damnati, jam in inferno constituti, et impenitentia illa in statu medio cum hac in inferno ejusdem naturae est. Ut itaque incongruum et contra Scripturae literam foret, dicere, hominem damnari propterea, quod, cum post mortem jam esset in inferno, non crediderit in Christum, ita pariter incongruum foret, hominem dicere damnari propter impenitentiam in illo statu intermedio. Et vero propter impenitentiam finalem homo dici debet damnari. Ergo illa impenitentia in statu intermedio non potest esse finalis. Finalis ergo ut ad statum vivi adhuc hominis pertineat, valet.

4) Tandem respondeo, denuo assumendo statum *Cel. CARPOVII* intermedium. Est ille status non *hujus vitae*, non hominis *mortui*, sed hominis *morientis*. Bene. At Deus dicit, se velle non mortem NB. *morientis*, sed ut convertatur et vivat. Ezéch. 18, 32. Vultne ergo Deus ut homo, qui non amplius est in vivis, convertatur? videat Exc. CARPOVIUS ne apocatastasimus tandem, quem mihi sine omni ratione objectavit, ab ipso statuatur: aut concedat statum hominis morientis esse statum hujus vitae. Namque dum ultimum vitae punctum vivit homo, *moriens* est, et cum absolvit ultimum actum *mortuus* dicendus est. Ut manifesto pateat

pateat, Scripturam statum intermedium a *Cel.* CARPOVIO adhibitum ignorare. Absolvitur impenitentia finalis ultimo hujus vitae actu, non absolvitur demum statu post hanc vitam: quamvis in hoc statu omnino absoluta, scilicet per statum proxime antecedentem, dicenda sit. Sufficiant ista huic objecto removendo, de statu inter vitam atque mortem intermedio, in quo neque vita sit neque mors. Et quae diximus simul vindicant definitionem impenitentiae finalis a me suppeditatam, eandemque Scripturae et loquendi usui conformem evincunt, iisque deductis implevi, quod Progr. Pent. §. 25. promiseram.

§. 9.

Ex his vero simul intelligitur, quod, cum porro infert *Cel.* CARPOVIUS: *si pro mortuis sacrificandum non fuit: impenitentia finalis apud Hebraeos non fuit ex numero illorum peccatorum, quae sacrificio expianda erant, et contra, ego consequentiam sim negaturus, quia pro mortuis sacrificium recte negatur, quamvis pro ultimo hujus vitae peccato recte affirmetur. Quare admissio hoc, recte tamen Judae Maccabaei factum 2 Maccab. XII. 42. improbat. Cum vero deinde infert, quod stultum fuisset pro viventium impenitentia finali sacrificare, quia nemo adhuc vivens ejus reus sit, ad id jam supra respondi, quod sc. reatus ipsi peccato, cum existens redditur, inhaereat, et post patratum jam peccatum etiam super peccatorem maneat. Posterius in praesenti exemplo ad futurum seculum, prius ad praesens spectat. Quod denique dicit: si quis vivus data opera illam (impenitentiam finalem) committere decrevisset, pro illa, ut futura adhuc, expianda, sacrificium nihil valuisse, id, si supponas pro typo (scilicet in se peccata non tollente) antitypum, maxime fallit. Namque, ut taceam, Christi satisfactionem omnino pro peccatis futuris in hac vita, etiam ex proposito, committendis, valere, et vere praestitam esse, satisfactio ea effecit, ut de ipso peccante in actu peccandi etiam ultimo, qui tamen ad hanc vitam pertinet, valeat, potuisse ipsum ab hac, in qua vere est, impenitentia liberum esse, et*

posse etiam in ultimo vitae actu hominem converti, quod dici nequam posset, si pro ipsa satisfactum et conversionis gratia satisfactione parata non esset. Quae cum ita sint atque typo insit, quod inesse credebatur, vanam non esse a typo ad antitypum collectionem, nemo est qui non videat.

§. 10.

Argumentum formaveram 2.) ex loco Ef. LIII, 6. quod ut infringat Cel. CARPOVIUS, notat, sermonem Prophetæ esse de peccato hominis viatoris, at impenitentiam finalem esse peccatum hominis viatoris negat. Cujus negativæ oppositum cum antea satis probaverim, concidit, quam datam a se sibi persuadet Vir Celeb., argumenti mei refutatio. Provocat equidem Vir Doctissimus ad Spec. VI, §. 9. n. 6. §. 5. n. 2. I. §. 10. Quemadmodum vero Spec. I. §. 10. nihil deprehenditur, quod huc adplicandum esset, cum ibidem solummodo in eo laboret Vir Praeclarissimus, ut ostendat, recte se distinxisse P. in Sp. S. in inchoatum et consummatum; ita Specimine VI, §. 9. n. 6. eandem, cui modo respondi, dedit formatae ex ipso loco Esaiæ LIII, 6. objectioni remotionem, ut nihil novi hinc ibi habeatur, cui jam responsum non sit. Spec. autem VI, §. 5. n. 2. quae leguntur, ea vero remota sunt (§. 8.) Quare ulterioribus nihil opus est.

§. 11.

Ad dictum 3) ex Joh. I, 29. a me citatum Spho LXI. Diff. Inaug., regerit, quod (§. 3. et 8.) jam removi. Nimirum negat ἀπίστων finalem esse peccatum hominis viatoris, cuius asserti oppositum sufficienter docui. Idem etiam citato in hac responsione Spec. VI. §. 9. n. 1. dixerat, nec plura ibi qua hoc argumentum exhibet, quare nova responsione non utimur. Ibidem vero ad hoc dictum etiam ita respondet. *Christus est agnus Dei tollens peccata mundi Joh. I, 29. sed quaenam? An etiam peccatum id, quo ipse Christus cum salute parta ad finem vitae usque rejicitur?* Neutiquam. *Nam qui non credit filio, et in ἀπίστωι hac constanter perseverat, super illum*

illum manet ira, cui subest. Joh. III, 36. Eph. II, 3. adeoque peccatum ejus non est sublatum. Ast, quemadmodum in hoc dicto Joh. III, 36. expresse permanentia irae super peccatorem derivatur ex *ἀπιστία*, neutiquam vero negatur satisfactio pro *ἀπιστία* praestita, quin potius, cum damnari propter *ἀπιστίαν* dicatur peccator, facta pro ea satisfactio doceatur; ita in adserto Exc. CARPOVII manifesto *adplicatio* satisfactionis cum *adquisitione* confunditur. Quod confitendum est, ni adprobare velis propositionem: *super quem ira manet pro eo satisfactum non est*: atque hinc etiam ejus convertentem per contrapositionem: *Pro quo satisfactum est super eum ira non manet*. Ex his propositionibus illa pro reprobis satisfactum negat, hinc pro solis electis admittit: haec neminem hominum non esse electum edisserit. Utrumque vero est manifesto falsum. Imo acquisitionis cum adplicatione factam permutationem etiam inde intelligas, quod ex sententia adducta alias propositio: *propter quodcumque peccatum ira manet super peccatorem, pro eo non est satisfactum*, et ejus conversa per contrapositionem: *pro quocumque peccato satisfactum est, propter illud ira non manet super peccatorem admittenda foret*, hinc, secundum priorem, statui deberet, quod pro nullo impenitentium finaliter talium peccato contra legem sit satisfactum: secundum posteriorem negandum esset, iram propter peccata contra legem manere super improbos. Utriusque vero propositionis falsitatem ostendi Progr. Pentecostali §. 24. 25.

§. 12.

Ad argumentum 4) quod ex Tim. IV, 10. formaveram, Vir Cel. ita respondet, ut sine reduplicatione intellectum concedat reduplicationem ad sui, et conclusionem cum reduplicatione ex dicto non sequi, dicat At pace Celeb. Viri dicendum est, quod vim argumenti non sit assecutus. De hominibus viatoribus sermonem esse praepono. Quaero nunc: quinam sint, quibus maxime Redemptor est Christus? fidelesne finaliter tales an temporarii? sine dubio prius statuendum est. Quaero secundo: an qua tales intelligendi sint nec ne? Et qua tales intelli-

intelligendos esse confitendum est. Fidelibus finaliter talibus quinam quaeso opponuntur? non finaliter fideles, qua tales, procul omni dubio. Anne vero non finaliter fideles qua tales sunt finaliter infideles qua tales? Finaliter ergo infideles qua tales iis, quibus maxime Christus est Redemptor, opponuntur. At pro iis, qui his opponuntur, etiam dicitur Christus Redemptor. Ergo pro finaliter infidelibus, qua talibus, est Redemptor. Vides ergo nullibi adsui reciprocationem, sed in prolatis a me syllogismis intelligendos esse finaliter impenitentes *qua tales*, ut syllogismorum sententia sit sequens: Qui fidelibus finaliter talibus opponitur, ille est cum fidelibus redemptionis Christi objectum. Atqui omnis infidelis finaliter talis fidelibus finaliter talibus opponitur. E. omnis infidelis finaliter talis cum fidelibus est redemptionis Christi objectum. Quodsi duobus syllogismis exprimere volueris, quibus in Diss. Inaug. usus sum; patet in secundi syllogismi Minori aequae ac conclusionem intelligi et exprimi finaliter impenitentes, qua tales, prouti modus argumentandi a superiori ad inferiora postulat. Esse enim impenitentem finaliter talem, qua talem, hominem infidelem nemo negare potest. Infidelem vero fideli opponi, et objectum redemptionis Christi esse, a Paulo dici, pariter est in confesso. Ut itaque sic quoque, non adsui reciprocationem sed per argumentationis naturam et sententiam Paulini dicti requiri, sit in aprico.

§. 13.

Iterum, quae argumento meo 5) ex Tit. II 14. desumpto opposuit *Celeb.* CARPOVIUS ad idem redeunt, quod impenitentia finalis non sit peccatum viatoris: cui cum satis responsum sit, ulteriori responsione nihil quidquam immoramur. Observaveram caeteroquin, quod, si lytrum redemptionis positum non esset, in impenitentia remansissemus, nec dari nobis potuisset gratia poenitendi et a peccatis surgendi. Eam observationem dicit Vir Celeberrimus falsum vero mixtum continere. Nam quamvis verum sit Redemptoris lytro non posito homines
in

in impenitentia mansuros fuisse, inde tamen confici negat, quod pro impenitentia finali satisfactum sit: quia gratia con-
 vertrix nobis per lytrum, pro maledictione legis operum aver-
 tenda, positum, acquisita sit, eoque ipso homines liberati sint ab
 impenitentia finali. *Concedit itaque satisfactione sua Christum nos
 liberasse ab impenitentia finali.* Interim inde sequi, quod pro im-
 penitentia finali satisfecerit Christus, pernegat. Id vero non
 consequi ea ratione probat, quae rem prorsus non conficit. Cui-
 vis patet observatis a me hoc inesse argumentum: Si Christus sa-
 tisfactione sua nos liberavit ab impenitentia finali; sequitur,
 quod Christus pro impenitentia finali satisfecerit. In quo
 qui consequentiam negat, cum antecedens concedat, illi ostend-
 endum est, rationem pro consequenti non esse in antecedenti.
 Vir Celeberrimus pro negando consequenti infert: *Si pro im-
 penitentia finali satisfecerit Christus, satisfecisse vel pro impenitentia
 finali eorum, qui meritum Christi adprehendunt, vel eorum, qui non ad-
 prehendunt.* Non illorum, quia eorum non detur impenitentia fina-
 lis, non horum, quia sic, ea expiata, hi damnari non possent. Ergo
 prorsus non satisfecisse Christum pro impenitentia finali. Ex quo qui-
 dem argumentandi modo non quidem directe consequentiae
 in argumenti mei majori negatio probatur, indirecte tamen im-
 pugnatur. Sequendum ergo est quo disceptatio vertitur. Ego
 itaque ad argumentationem respondeo 1) *supponi, quod supponen-
 dum non erat, et in thesi falsum est: scilicet in doctrina de satisfactione
 Christi, qua acquisitionem spectata, jam dividi posse objecta satisfactionis ho-
 mines in fideles et infideles finaliter tales.* Namque non missus est Chri-
 stus ad satisfaciendum pro fidelibus, sed pro hominibus infidelibus
 et talibus, qui ex natura sua et corruptione miserrima non poterant
 non finaliter esse infideles. Suaque satisfactione effecit, ut im-
 penitentia, quae ex natura hominum non poterat non esse fi-
 nalis, fieri posset temporaria, adeoque satisfactione sua nos libe-
 ravit ab impenitentia finali. Quod quidem adeo evidens est,
 ut et ipse Vir Celeberrimus non potuerit negare, quin, ut in
 antecedentibus vidimus, expresse et diserte concedat. 2) Pro-
 positiones Christus liberavit nos ab impenitentia, et Christus
 C. fatis-

fatisfecit pro impenitentia, quantum judicare possum, sunt adeo connexae, ut sine una altera stare nequeat. Etenim dum dico, *Christum nos liberasse ab impenitentia*, dico Christum effecisse, ut loco impenitentiae in nobis esse possit fides, et, posita fide, impenitentia antecedens non imputetur. Atqui id praestitit obedientia sua activa et passiva, et hinc, dum pro *impenitentia nostra* satisfecit. Quodsi nunc de impenitentia finali speciatim sermo sit; propositione: *Christus liberavit nos ab impenitentia finali*, statuitur, Christum effecisse, ut loco impenitentiae finalis, in ultimo vitae actu atque momento esse possit fides, et posita fide, quae antecessit, impenitentia non imputetur, idem vero praestitit sua obedientia activa et passiva, et hinc, dum pro impenitentia finali satisfecit. Ab una ergo dictarum propositionum ad alteram recte concluditur, et admissa una altera admittenda est. 3) Quoad fideles quidem verum est, quod, quae Dei est gratia, in impenitentia actuali finali non deprehendantur, sed quod in eum statum potuerint transire, ni impenitentiam naturalem ipsorum, quae per naturam non poterat non esse finalis, Christus expiasset, pro eademque satisfecisset, hoc est, quod negatur. Namque non fideles redempti sunt, ut, hoc sensu, pro temporaria illorum impenitentia satisfactum sit, sed infideles redempti sunt, ut hinc pro impenitentia illorum, qualis per naturam erat, et non poterat non esse, satisfactum sit. Et vero per naturam non poterat non esse finalis. Ergo pro impenitentia, quae per naturam non poterat non esse finalis, satisfactum, eoque ipso effectum est, ut quae per naturam non poterat non esse finalis per redemptionis et conversionis gratiam posset esse temporaria. 4) Quoad infideles vero cum dicitur, quod si pro ipsorum impenitentia finali Christus satisfecisset, ea expiata esset, hoc utique conceditur, quantum ad acquisitionem et voluntatem Dei ad applicationem tendentem et antecedentem spectat. Sed cum sine fide Deus adplicare actu expiationem non possit, utique ira super infidelem finaliter talem manet et manere debet, adeoque damnari juste et potest et debet, quod *Progr. Penit. recost.* §. 26. 27, contra obmota ostendi. 5) Quid est, quod satisfactio-

factionem pro impenitentia finali praestitam concedere nolumus? Nonne praestita satisfactio habet valorem infinitum, ut pro impenitentia finali sufficiens sit? Et si sufficiens est, cur restringendam quaerimus? Numquid etiam fieri potest, ut aequae clare atque distincte, eam pro infidelitate finali ex sua natura valere non posse, ostendatur, ac distincte nos ostendimus, non obstante valore infinito, propter conditionem impenitentis finaliter talis, applicari non posse? Quodsi vero valore infinito pro impenitentia finali sufficit, cur valere non confitebimur pro eo, pro quo sufficientem valorem internum habet? Anne forsitan Deus sufficienti, sc. infinito, valore instructam, pro impenitentia finali non vult interne valere, aut eidem denegat valorem internum, quem utique habet? Hoc, nisi qui ad fideles solos satisfactionem restringit, dicere nequit, quod *Cel. CARPOVIO* in mentem non venisse jure suspicor, et prorsus confido. Sed sufficiant ista hic cum in sequentibus plura hanc in rem dicenda sint.

§. 14.

Objectionem sibi format *Cel. CARPOVIUS* dicens: *Ita, inquis, Christus satisfecit pro impenitentia finali, ne homo in illam cadat.* Et respondet: *Nego hoc respectu satisfactione Christi pro impenitentia finali opus fuisse.* Ego vero eam propositionem concedo, hoc sensu, quod non opus fuerit satisfactione, ne homo in impenitentiam finalem cadat, quippe *jam erat* in impenitentia, quae sua natura non poterat non esse finalis, adeoque non opus erat satisfactione, *ne in eam cadat*, sed opus erat satisfactione, *ut ex ea eripiatur, in qua sua natura erat*: quodsi hoc etiam negaturus est *Vir Celeb.*, adserto superiori, quo *hoc sensu*, sc. cum dicitur Christum satisfactione sua effecisse, ut homines evitare queant impenitentiam finalem, *concessit*, Christum homines liberasse *ab impenitentia finali*, manifesto contradicet. Caeterum satisfactio Christi pro impenitentia naturali hominis, quae per naturam hominis non poterat non esse finalis, pro fine habuit, ut temporaria fiat, hominis illa infidelitas, hinc, ut a finali

liber praestetur. 2) Addit porro Vir Celeb. *satisfactio vicaria vere praestita supponit delictum ab altero vere commissum.* Ego intelligere Virum Doctissimum arbitror delictum vere commissum in sensu latiori, ut non referatur ad actus solos, et ad solam proaeresin, quare malletm Apostoli terminum ipse retinisset *πάσαν ἀνομιαν* nuncupantis, ut sensus sit: *satisfactio supponit ἀνομιαν* pro qua fieret. At vero illa impenitentia homini misero naturalis quaeque non poterat non esse finalis, per hominis naturam, omnino erat ἀνομία, quae in praestanda satisfactione supponebatur, eademque ne finalis, ut per naturam erat, maneret, sed temporaria fieret, gratia redimente voluit benignissimus Redemptor.

3) Verba quae sequuntur: *Unde ubi homo finaliter impenitens non est, satisfactione pro ejus impenitentia finali non opus est,* iterum in suppositum illud non supponendum (§. praec. n. 1.) incidunt. Scilicet prius de fide cogitatur et absentia impenitentiae finalis, quam de satisfactione, quod fieri non debebat. Infidelitas temporaria satisfactionis objectum ponitur, cum tamen, non praestructa satisfactione, temporaria sit nulla, omnis finalis, et satisfactione, ut temporaria fieri posset, effectum est. In decreto de dando Satisfactore consideratur objectum homo miser, non ut satisfactionem fide apprehendens, hinc sub temporaria infidelitate spectatus, sed *omne bonum* spirituale per naturam, quolibet die vitae, ad finem ergo vitae suae, Gen. VI. 5. IIX. 21. aversans. Talis objectum satisfactionis est homo Eph. II. 1-6. In doctrina ergo de satisfactione, qua acquisitionem spectata, ut finaliter non impenitens homo, satisfactionis objectum constitui nequit. Cum

4) superioribus porro addit Vir laetus: *Ut autem homo posset in Christum credere et finalem impenitentiam evitare, hoc tantum opus erat, ut Christus satisfaceret pro avertenda ab hominibus male dictione legis operum, sique salutem iis acquireret,* in eo prorsus consentio, si modo termino legis operum non inducatur differentia. In doctrina quippe de satisfactione qua acquisitionem spectata Scriptura nullibi utitur distinctione Legis operum et Legis fidei, adeoque ea huc non spectat. Una ceteroquin est Christi satisfactio valoris infiniti, qua pro transgressione hominis, quae ad hanc vitam pertinet, omni, etiam ea,
quae

quae est in ultimo vitae momento, satisfecit. Unde satisfactio pro impenitentia finali excludi nequit, quin in illa una satisfactione habeatur. Tandem 5) cum dixissem, rationem, cur ex impenitentia non emergant impenitentes finaliter tales, esse in ipsis, non in defectu lytri, *id sibi non obesse* profitetur Vir Doctissimus, cum *ipse ita doceat*, inde vero non sequi dicit, Christum pro impenitentia finali satisfecisse, *quia ante mortem* poenitentia agenda sit, *quo facto* satisfactione pro impenitentia finali nihil opus sit. At, ut bene novi, doctissimos quosque aliquando in contraria incidere, ita omnino statuo, qui pro impenitentia finali satisfecisse Christum negat, eum ponere, quibus positus defectus in lytro admitti debet. Si enim potuit satisfacere et non satisfecit, satisfactioni defectus perfectionis inest, cum impenitentia finalis sit hujus vitae, pro cuius peccatis satisfactio ponenda fuit. Hoc unicum velim: An loco illius impenitentiae, pro qua Redemptor datus non est, possit in homine esse fides? Affirmes! et docebis, aequae bene damnatis inesse posse fidem, ac homini viatori. Neges ergo! hinc in statu vitae ultimo in impenitenti finaliter tali loco illius impenitentiae non potest esse fides. In quolibet tamen statu praevio peccaminoso, quamvis cura peccato proaereticum simul non potuerit esse fides, loco tamen illius poterat esse fides propter positum lytrum. Undenam, quaeso, haec differentia? Nonne ex defectu lytri? Ex eo vero, *quod ante mortem poenitentia agenda sit*, tam parum sequitur pro impenitentia finali non esse satisfactum, quam parum ex inde, quod pro ea satisfactum est, sequitur, poenitentiam sine periculo ad ultimum vitae momentum retardari. Quoad reliqua jam supra respondimus.

§. 15.

Ufus eram 6) Dicto Paulino, Ebr. II. 15., docente, redemptos esse cunctos, qui formidine mortis per totam vitam servituti obnoxii sunt, quare de impenitentibus finaliter talibus subsumseram et conclusionem intuleram. Argumentum sibi non contrariari dicit Vir perspicacissimus, CARPOVIUS. Et
C 3
cur?

cur? Quia non dixeram sermonem esse de finaliter impenitentibus *qua talibus*. Quod si vero placuisset respicere initium Sphi, me hoc, ut reliqua dicta, quibus pro firmanda mea thesi usus sum, de finaliter impenitentibus, *qua talibus*, interpretari, adeoque, quem dissimulat esse argumenti, quod ex dicto eliciendum iudicavi, tenorem, intellexisset. Nemo vero non intelligit, si de quoquam, certe de impenitenti finaliter tali dicendum esse, quod per totam vitam servituti obnoxius sit. Is enim in servitute peccati et timore mortis totam vitam consumit et claudit. Atque eo simul docemur, quales fuerimus, quibus Redemptor constitutus est, tales nimirum, quales supra satisfactionis objectum diximus (§. 13. n. 1.). Ex quibus omnibus cum elucescat, omnino finaliter impenitentes, qua tales, hoc dicto intelligi, utique eo dicto thesis nostra, de satisfactione pro impenitentia finali praestita, stabilitur.

§. 16.

Provocaveram tandem 7) ad loca Scripturae, Matth. XIII. 11. 1. Cor. II. 12. Rom. XIV. 15. Sed, quantum ad primum attinet, regerit Vir Celeberrimus, per τὸ ἀπολωλός non intelligi, nisi homines perditos *in hac vita, non post hanc vitam*. Cui cum supra satis responsum sit, nihil hic addimus, et per superiora, redemptionis ex averno objectio, abunde, tanquam ad rem non pertinens, remota est. Quantum ad posteriora loca spectat, velim, ut Theologorum argumenta, ad quae provocavi, inspiciat Vir Doctissimus, et intelliget pro me contra ipsum loca ista pronunciare.

§. 17.

Vindicatis argumentis his contra ea, quae adversus scripserat *Cel. CARPOVIUS*, videndum est, quantum ponderis insit iis, quae ab *Auctore Doctissimo Observationum et Dubiorum* in medium prolata habentur. Cum argumentatus essem ab universalitate gratiae et universalitate meriti Christi ad satisfactionem pro impenitentia finali praestitam, Auctor Observationum
et

et Dubiorum utrumque argumentum concinne combinat et limitat, supponendo objectum habile, et ita pronuntiat: Quodcunque objectum habile est satisfactionis Christi, s. quodcunque satisfactionis Christi objectum esse potest, ad id etiam satisfactio Christi extenditur. Atque cum nunc velim subsumere Impoenitentiam finalem, ille Minorem se dicit negaturum. Placet mihi utique in *praesenti materia* Major sic prolata, quamvis a me nusquam adhita fuerit, nec desint, quae moneri possent, nilimitibus certis coarctetur ipsius enunciatio paululum indeterminata. Sed ut dixi in *praesenti materia* facile largior Majorem et a Viro praeclaro negatam Minorem defendo. Negativam suam *is triplici* argumento probat. Videamus de singulis.

§. 18.

Primum argumentum, quo, non esse finalem impoenitentiam objectum habile satisfactionis, evincere laborat, est tale: *Quodcunque non potest considerari tanquam satisfactionem antecedens id non est objectum habile satisfactionis, seu, illud non potest esse objectum satisfactionis.* Subsumitur de *impoenitentia finali* et *concluditur*. In isto vero argumento Major laborat ambiguitate varia. Limitabo eandem: *Quodcunque*, s. implicite s. explicite et satisfactione s. cognita s. non cognita ponatur, *non potest* ab intellectu infinito tanquam satisfactionem antecedens considerari, *illud non est objectum satisfactionis habile.* Sic concedo Majorem, nego vero Minorem de *impoenitentia finali* subsumentem. Nihil quidquam immoror membrorum diversorum, in Majoris limitatione enumeratorum, explicationi. Res ipsa divisionem vindicat, et conferri interim possunt, quae Pr. Pent. §. 6. 7. 8. 9 dicta sunt. Praeterea vero confido sagacissimum Auctorem *Obj.* et *Dub.* subjectum Minoris in tota sua latitudine sumere, ut omnem impoenitentiam finalem, ad quodcunque demum divisionis membrum referatur, intellectam velit. Disceptatio ergo omnis ad determinationem Majoris redit, quae *intellectum infinitum* meminit. Namque facile, concedo intellectum finitum, eumque humanum, sibi relictum, non posse cogitare Redemptoris rejectionem, nisi cognita

cognita et supposita prius redemptione, quae rejicitur. Et quamvis adhuc fortiter negari possit, intellectum humanum, de statu corruptionis hominum naturali et de Redemptione praestita ex revelatione instructum, non posse rejectionem Redemptoris implicitam tanquam redemptionem antecedentem considerare, tamen etiam huic propositioni nunc non inhaerebo. De intellectu divino hic omnis quaestio est: *Anne Deus rejectionem Redemptoris etiam finalem ab intellectu divino praevisam tanquam redemptionem antecedentem spectare, eidemque destinare satisfactionem possit?* Eandemque ego affirmandam statuo. Nimirum Deus cum genus totum humanum lapsum Redemptoris satisfactione ex miseria, et peccatis in hac via ipsi inhaerentibus, eripiendum constitueret, genus humanum cum omni ex lapsu orta miseria et corruptione hujus viae repraesentavit, eidemque ut tali Redemptorem constituit. Ea vero miseria impotentiam naturalem acceptandi bonum spirituale quodcumque non modo, sed etiam actualem non acceptationem naturalem boni spiritualis cujuscunque quamlibet, adeoque etiam finalem in hac via, complectebatur. Eademque impotentia naturalis acceptandi bonum spirituale, illaque actualis non acceptatio naturalis boni spiritualis cujuscunque impotentiam naturalem acceptandi Redemptoris satisfactionem, et ipsam naturalem actualem non acceptationem satisfactionis Redemptoris quamcunque, etiam finalem, in hac via, involvit. Nam ergo & ipsam naturalem impotentiam acceptandi, Redemptorem et actualem non acceptationem ejus quamcunque, etiam finalem, ad hanc viam spectantem, repraesentatio, quam divinus intellectus de gener. humani miseria, et peccatis ipsi in hac via inhaerentibus, habuit, compl. est. Quare cum genus humanum lapsum, Redemptoris satisfactione, ex miseria, et peccatis in hac via ipsi inhaerentibus, eripiendum constitueret Deus; genus humanum, sub impotentia naturali acceptandi Redemptorem, et sub actuali quacunque, etiam finali, non acceptatione ejus, conceptum, Redemptoris satisfactione eripiendum ex miseria et peccatis in hac vita ipsi inhaerentibus, hinc ab ipsa naturali acceptandi satisfactionem Redemptoris impotentia, et ab ipsa naturali non acceptatione ejus quacunque, etiam finali, ad hanc viam pertinente, constituit, generi

generi humano, sub dictis determinationibus, hinc infidelitate, etiam finali, spectato, adeoque etiam pro infidelitate naturali finali, satisfactionem decrevit. Et cum miseriae generis humani, et peccatorum in hac via ipsi inhaerentium, idea decretum divinum de dando Redemptore, ejusque satisfactione, antecedit, *per rei naturam*; etiam infidelitatis naturalis finalis, in genere humano in hac vita obviae, idea decretum divinum, de dando Redemptore, ejusque satisfactione, antecedit. Quo igitur evicto corrumpit speciosissimum argumentum peracuti Auctoris *Observ.* et *Dub.* Est autem in eodem aliud quoddam, quod *primum falsum* dicere possis. Nempe cum impossibile sit fidem cogitari non supposita redemptione, sumitur inde, nec infidelitatem cogitari posse non supposita redemptione. Id vero falsum est, et subortum ex non adhibita attentione ad cujusvis originem. Fides oritur ex gratia, gratia, non supposita redemptione, haberi nequit, ergo nec fides. Infidelitas autem ex natura corrupta est, quae bene cogitari potest, cum omnibus, quae inde consequuntur, non supposita redemptione. Homo sectatur, ad quae natura fertur, eo ipso alienus est a Redemptore, eundemque aversatur, sive de Redemptore cogitet sive minus, eundemque sive cognoscat sive minus, super mentis inclinationem vel aversionem verbis se explicet sive minus.

§. 19.

Atque iis probe observatis, quae §. ant. diximus, nihil opus est, ut, quod factum est a Defensore thesium mearum, in *Lit. ad Auct. Obs. et Dub. datis p. 11.*, pro solvendo Auctoris *Obs. et Dub. perplexo dubio*, satisfactionem distinguamus in primam, secundam, etc. quod et ipsum jam monueram *Parte Polem. Diff. Inaug. §. XXXIX.* Interim non video, cur censuram mereantur, qui ita distinguunt, quod pariter l. c. jam generaliter ostendi. Nimirum divisio non est satisfactionis subjective sed objective spectatae. Objecta satisfactionis distinguuntur, et cum ad quodlibet objectum referatur satisfactio, inde oritur satisfactionis distinctio objectiva. Sic e. g. dico, Christum satisfecisse pro Peccato Originali, satisfecisse pro Peccato actuali; Datur satisfactio pro Peccato Originali et datur satisfactio pro peccato actuali; Imo sic et ipse Auct. *Obs. et Dub. cum Ex. CAR-*

D

POVIO,

POVIO, distinguit satisfactionem in eam, quae facta est pro transgressione Legis operum et eam, quae facta est pro transgressione legis fidei, pro qua sc. temporaria satisfactum esse dicit. Nemo tamen ideo dixerit, eo stabiliri duas a se subjective distinctas satisfactiones, cum satisfactio tantummodo objective sic dividatur. Eam esse optimi thesium mearum Defensoris mentem, expresse monet ipse, cum ratione objectorum tantum dividit, et addit, satisfactionem in se (id est subjective) spectatam esse unicam, dividi tamen *doctrinae* gratia posse. Scilicet in doctrina de satisfactione, et praesertim ea, quam prae manibus habemus, objecta realia diversa satisfactionis consideranda sunt, et singularis est satisfactionis unius totius ad unum et ad alterum relatio, ex qua ergo objective dividi potest satisfactio. Aequitatem ubique observet censura, et quam ipsi postulamus, eam concedamus etiam aliis. His observatis intelligitur, superfluum esse severiorem censuram, quam Defensori meo Auctor Obs. et Dub. opposuit in uberiori Declaratione (in der nähern Erklärung) p. 24, ubi omnem simul paginam consumit, dicta a Defensore thesium mearum consequentiis onerando, quae tamen solo, quod nuncupavi et a Defensore mearum thesium etiam sat distincte indicatum est, discrimine notato cunctae cessant: cum hic solus sit sensus dictorum, *quod incredulitas finalis non sit totum sed partiale tantum objectum satisfactionis.* Atque ejusmodi per hypothesein etiam, quae satisfactionem in eam dividit, quae pro transgressione legis operum, et eam, quae pro transgressione legis fidei praestita est, enunciatur. Si verbis inhaerendum esset, posset etiam infesta consequentia, *quasi Auctor Doctissimus incredulitatem finalem non haberet pro peccato, exinde formari, quod nuncupet satisfactionem pro peccatis et pro incredulitate finali, quasi haec non sit peccatum.* Sed absint ejusmodi disputandi artes! Caeterum non moror, in ipsis illis p. 24. l. c. ab Auct. Obs. et Dub. prolatis consequentiis, vero mixtos errores, cum in consequentiis tantummodo habeantur. Potius videamus, an ad argumentum ipsum Defensoris mei applicari possit divisionis, qua satisfactio in primam et secundam dispescitur, a me suppeditata explicatio. Et, posse hoc menti Defensoris thesium mearum conformiter fieri, ostendo, argumentum ipsum ita, ut explica-

plicatio, quam dedi, requirit, exprimendo. Auctor Obs. et Dub. argumentatus erat: *si finalis infidelitas satisfactionem praesupponit, non potest ipsa esse satisfactionis objectum.* Atqui verum est prius. Ergo posterius. Respondet defensor meus ex mente Auctoris Obs. et Dub. *satisfactionem, quam infidelitas finalis supponit, esse eam, quae praestita concipitur pro transgressione legis operum, et objective spectari, non posse enim subjective spectatam satisfactionem dividi (an sich sey die Gnugthuung Christi nur eine einige) vid. pag. 11. Lit. ad Auct. Obs. dat.* Postquam ita firmaverat limitationem, nunc applicat eam ad argumentum Auctoris Obs., idemque limitat ita: *Si finalis infidelitas satisfactionem, objective spectatam, supponit, sequitur, quod ipsa satisfactionis objectum non sit: seu, quod idem est: si finalis infidelitas satisfactionis ad aliud objectum (sc. transgressionem legis operum, quam dicit cum Cel. CARPOVIO, Auctor Obs.) relationem supponit, sequitur, quod satisfactio ad ipsam infidelitatem relationem non habeat: seu, quod denuo idem est: si finalis infidelitas non est ipsum illud aliud objectum, pro quo satisfactum esse, in concipienda infidelitatis finalis idem, supponendum est, sequitur, quod ipsa infidelitas finalis prorsus non sit objectum satisfactionis illius ipsius.* Atque illam propositionem Majorem Defensor optimus rejicit tanquam falsam. Videamus, quid his reponat Auctor sagacissimus Obs. et Dub. Argumentum intactum relinquit. Cum autem praeterea ordinem rei sibi cogitaverit Defensor thesium mearum 1) objectum satisfactionis primae 2) satisfactio prima 3) incredulitas finalis 4) satisfactio secunda; nunc quaerit callide Auctor Obs. *cur non continuet Defensor meus ulterius ponendo satisfactionis secundae rejectionem?* At de eo velim responsionis loco conferat L. B. quae dixi Diss. Inaug. Parte Pol. §. XXXIX. suo loco ab objectionibus vindicanda. Sufficiat hic, argumentum Defensoris thesium mearum non esse remotum.

§. 20.

Alterum argumentum, quo Obs. et Dub. Auctor praeclarissimus negativam Minoris in argumento, quod §. 17. adduxi, probare vult, est ab *impossibilitate applicationis redemptionis in finaliter infidelibus* desumptum. *Pro quocunque satisfactio, quae praestita*

D 2

sumitur

sumitur, adplicari nequit, pro illo satisfactio praestita non est, seu: illud non est objectum satisfactionis. De impenitentia finali subsumit et concludit. Praeterquam autem, quod dudum responderunt Theologi, a negato fructu ad negandum satisfactionem, pariterque a negata adplicatione ad negandum acquisitionem consequentiam non valere, etiam hoc addo, commisceri adplicationis impossibilitatem absolutam cum hypothetica. Non est hic impossibilitas absoluta adplicationis sed hypothetica. Et in ipso etiam ultimo vitae actu, peccatorem esse atque non credere, et credere posse, utrumque de peccatore valet, rō non credere actum credendi negat, non actus illius in subiecto possibilitatem absolutam. Quare cum infidelis in ultimo vitae actu constitutus sit finaliter infidelis, sensu reduplicativo dictus, de finaliter infideli sensu reduplicativo dicto valet, quod credere possit: Enimvero qui credere potest, illi adplicari satisfactio potest. Ergo finaliter infideli, in sensu reduplicativo spectato, satisfactio adplicari potest. Illa ergo impossibilitas absoluta, qua sola posita argumentum valeret, in exemplo exulat, unde argumentum non probat, quod probandum erat.

§. 21.

Defensor thesium mearum doctissimus pro infringendo illo argumento, idem adplicaverat in toto sensu ad satisfactionem pro transgressione legis operum, eandemque eodem argumento intulerat negandam esse. Quod cum ipse Auctor Obs. et Dub. non admittat, ille porro argumentatus erat, hujus argumentum esse nullum. Quid autem ad haec Obs. et Dub. Auctor regerit? 1) *verbosiori* deductione evincit, finaliter incredulum, sensu specificativo dictum, posse adprehendere meritum Christi. 2) *Usus* satisfactionis pro finaliter incredulo, sensu specificativo dicto, allegat quatuor a) *ut a* partium studio liber sit Deus. b) *ut* Redemptorem omnium hominum esse Christum manifesto pateat. c) *Ut* justitiae divinae etiam respectu horum peccatorum satis fiat: d) *ut* et hi peccatores habeant medium liberationis, quo, si velint, uti possint. 3) *Dicit*, de finaliter incredulo, in sensu reduplicativo sumto, idem non valere. 4) *Defensori* objicit a) *quod* sensum specificativum cum reduplicativo confundat, et β) *quod* ipse fateatur, impossibilem finaliter incre-

incredulo, sensu reduplicativo dicto, esse satisfactionis adprehensionem. 5) *Finaliter* infidelem, sensu specificativo, esse spectandum ut nudum peccatorem, adstruit. Ea vero omnia pro tuenda sententia nobis opposita nihil quidquam, et minus in praesenti disceptationis forma, valent. Namque ad 1) *id in se* conceditur: hic vero probandum erat, quod argumentum, pro possibilitate adprehendendi satisfactionem, finaliter infideli, sensu reduplicativo, *neganda*, formatum, non eodem jure de ipso, sensu specificativo dicto, et in respectu ad satisfactionem pro transgressione Legis operum valeat, *quod vero probatum non est*. Ad 2) *omnes* illi usus facile admittuntur, et etiam, quoad finaliter infideles, reduplicative dictos, valere, a nobis adseritur. Hoc autem fieri non posse hic probandum erat, *quod factum non est*. Ad 3) hoc equidem dicitur, non probatur, *quod fieri debebat*, cum in objectione esset. Ad 4. a) *illud* pariter sine probatione dicitur, quoad differentia finaliter infidelis, specificative et reduplicative dicti, qua hoc argumentum, non manifesto docetur, quod *neque factum est neque fieri potest*. Ad 4. b) *Latet* aequivocatio in assertis: *finaliter* infidelem reduplicative dictum satisfactionem adprehendere *impossibile est*, *impossibilitate*, quae secundum Principium Certitudinis judicanda est, et in exemplo non nisi *hypothetica* est: ea enim tantummodo dicit, utrumque actum credere et non credere simul non posse esse in eodem subjecto: *non est impossibile*, impossibilitate, quae secundum Principium Contradictionis aestimanda venit, quae est *absoluta*, et non oppositum actum solum, sed etiam oppositi actus *absolutam possibilitatem* subjecto inesse negat. De priori Defensor optimus loquitur non de posteriori impossibilitate. Ad 5) *de eo* velim B. L. conferat, quae dixi *Pr. Pent. S. 15*. etc. Hic vero maxime probandum erat, argumentum idem, ad utrumque, finaliter infidelem sensu specificativo, et reduplicativo dictum, adplicari non posse, *quod desideratur*. Est autem omnibus palpabile manibus, ut infidelis finaliter talis non potest adprehendere satisfactionem pro transgressione legis operum, *eadem impossibilitate*, non graviori non leviori, non posse adprehendere satisfactionem pro transgressione legis fidei, atque hinc, si haec propter eam adprehensionis im-

possibilitatem sit neganda satisfactio, etiam illam esse negandam. Quod ipsi tamen adversum sentientes nolunt admittere.

§. 22.

Habet Vir Cl. adhuc *Tertium* pro negativa minoris in syllogismo superius dicto §. 17. argumentum in promptu: *Quod sc. satisfactio pro impenitentia finali non possit esse vicaria*, quod inde probat, quia applicari non possit nec fructus ejus haberi. Verum cum de posteriori jam dictum §. 20. et aliunde, quod vicaria esse non possit ea satisfactio, non probetur, responsione eadem hoc ratiocinium solvitur.

§. 23.

Cum itaque argumenta, quibus Minorem in illo syllogismo (§. 17) negare voluit Cel. Obs. et Dub. Auctor, remota sint, manet illa propositio Minor vera, hinc etiam Conclusio, quae, argumentis, ab universalitate gratiae et satisfactionis Christi desumptis, praestitam pro impenitentia finali satisfactionem stabiliri, praedicabat.

§. 24.


Tertio argumento Cel. Dni Auctoris Obs. et Dub. similem ei, quam ad secundum dederat, responsionem, et omni jure, opponit Praecl. Defensor thesium mearum. Sed et is in suis responsis et ille in uberiori *declaratione*, maxime laudando conatu, et ea disputandi amoenitate atque humanitate, quibus lectori auscultandi voluntatem excitari putem, talia proponit, quae his plagulis absolvi nequeunt, et uberiorem disquisitionem merentur. Circa hoc ergo argumentum in responsione §. 22. data subsistimus, et reliqua commodiori loco perquirenda reservamus.

§. 25.

Ista sunt, *Academiae Civis O. O. Honoratissimi*. quae vobiscum hodie communicanda duxi. Nihil enim magis in aedificationem hodie nostram vergit, quam Redemptionem Christi, quae futuram nostram salutem, *ἰσαγγελίας* caractere nos ornaturam, nobis paravit, in memoriam revocari. Agite ergo! ut salutaris felix et fausta, quam precor, vobis sit, festa dies, quanta Redemptor satisfaciendo nobis promeruit bona, quantam salus parata nobis felicitatem, et quantum felicitatis possessio aeterna gaudium, quantamque in tanta voluptate nobilitatem futura nostra *ἰσαγγελία* nobis sit allatura, ex infinito satisfactionis pro nobis praestitae valore meditemini! Sic Festum Angelorum digna ratione celebrantes, per Spiritus Sancti gratiam, praestitam pro nobis satisfactionem vera fide apprehendentes, et vitam fidei vera Deoque placente sanctitate demonstrantes, atque futurae felicitatis spem et fiduciam insigniter auctam et firmatam ad finem usque vitae conservantes, in aeternum aliquando cum Angelis coram throno Dei et Redemptoris gaudebimus.

S. D. G.

P. P. SUB SIGILLO PRO RECTORALI,
IPSIS FESTI MICHAELIS FERIIS MDCCLIV.



plicatio, quam dedi, requirit, exprimendo. Auctor Obf. et Dub. argumentatus erat: *si finalis infidelitas satisfactionem praeponeat, non potest ipsa esse satisfactionis obiectum.* Atqui verum prius. Ergo posterius. Respondet defensor meus ex mente Aetoris Obf. et Dub. *satisfactionem, quam infidelitas finalis supponit, esse eam, quae praestita concipitur pro transgressione legis operum, et obiective spectari, non posse enim subjective spectari.* satisfactionem dividi (an sich sey die Gnugthuung Christi nur einige) vid. pag. II. Lit. ad Auct. Obf. dat. Postquam firmaverat limitationem, nunc applicat eam ad argumentum Aetoris Obf., idemque limitat ita: *Si finalis infidelitas satisfactionem, obiective spectatam, supponit, sequitur, quod ipsa satisfactio obiectum non sit: seu, quod idem est: si finalis infidelitas satisfactio nis ad aliud obiectum (sc. transgressionem legis operum, quod dicit cum Cel. CARPOVIO, Auctor Obf.) relationem supponit, quod satisfactio ad ipsam infidelitatem relationem non habeat, seu, quod denuo idem est: si finalis infidelitas non est ipsum aliud obiectum, pro quo satisfactum esse, in concipienda infidelitate finalis idea, supponendum est, sequitur, quod ipsa infidelitas finalis propositio non sit obiectum satisfactionis illius ipsius.* Atque illam propositionem Majorem Defensor optimus rejicit tanquam falsam. Videamus, quid his reponat Auctor sagacissimus Obf. et Dub. Argumentum intactum relinquit. Cum autem praeterea obiectum rei sibi cogitaverit Defensor thesium mearum 1) obiectum satisfactionis primae 2) satisfactio prima 3) incredulitas finalis 4) satisfactio secunda; nunc quaerit callide Auctor Obf. *cur continuat Defensor meus ulterius ponendo satisfactionis secundae obiectum?* At de eo velim responsionis loco conferat L. B. quod dixi Diss. Inaug. Parte Pol. §. XXXIX. suo loco ab obiectum meis vindicanda. Sufficiat hic, argumentum Defensoris thesium mearum non esse remotum.

§. 20.

Alterum argumentum, quo Obf. et Dub. Auctor praerogativissimus negativam Minoris in argumento, quod §. 17. addidit probare vult, est ab impossibilitate applicationis redemptionis in finalibus infidelibus desumptum. Pro quocunque satisfactio, quae praeponeatur

D 2

